

altari summo more solito peragatur; et quocumque die per circulum anni summam missam de beata virgine et post primam de sancta Anna vel econverso celebrari contigerit, ipso die prior et custos ecclesie unum solidum de dicto censu dominorum refectionibus apponent exceptis quatuor festivitibus beate virginis et circumcissione domini, in quibus ipsemet prepositus ecclesie solet sufficienter conventui ministrare. Decendente vero dicto Heinrico in anniversariis amborum scilicet domini Rudolphi et ipsius Heinrici, quorum pecunia mediante prefatus census est contractus, quatuor solidi ad refectionem dominorum dabuntur et unus ad lumina, que noctes ipsorum anniversariorum ardendo permaneant et iugiter perseverent. Ceterum si, quod absit, in posterum aliqui sive seculares sive religiosi cuiuscumque etiam professionis homines proprietatem predicti census impetere presumerent, idem Cunzcelinus et sui filii suprafati omnem huiusmodi inquietacionem semovere et penitus conpescere pepigerunt. In cuius rei certitudinem, ut a futuris versucie removeatur cuiuslibet discolya, presentem paginam desuper conscriptam nostre civitatis fecimus sigilli typario communiri. Actum et datum Aldenburg anno gratie M^oCCC^oprimo, in die sancti Egidii.

a) auf Rasur (A) b) -ria auf Rasur (A)

34. *Dietrich von Leisnig beurkundet, dass der Zwickauer Bürger Heinrich Kroner dem (Augustiner-)Chorherrenstift auf dem Berge bei Altenburg eine Hufe zu Lohma und anderthalb Hufen in Boderitz übereignet hat.*

1301 [vor September 24]

Original: ThStA Altenburg, Urkunden, 1301 Nr. 2 (A); Pergament: 16,5 cm hoch, 24 cm breit, Plica: 2 cm; Besiegung: Zwei leicht beschädigte Siegel an Pergamentstreifen (1) Burggrafen Dietrich II. von Altenburg (Posse, SAWL I, Taf. 38, Nr. 1), (2) Dietrich von Leisnig (Posse, SAWL IV, Taf. 41, Nr. 2); Rückvermerk 15. Jh.: cum summa missa cantabitur de beata virgine, loco eius cantetur de sancta Anna, unde habemus I marcam argenti in Lom de I manso et XXV solidos in Podebritzc et de anniversario et de candela. — Edition: Altenburger UB, S. 346 f., Nr. 428. — Anm.: Vgl. Nr. 31 und 33.

In nomine domini amen. Theodericus dictus de Lysenik universis Christi fidelibus in perpetuum. Licet a psalmista^{a)} generalem exhortacionem fideles habeant, ut deum in sanctis suis laudare debeant, tamen ex devota fidelium mente nascitur, ut in hiis sanctis pre ceteris laudem deo referant, quos constat incarnari^{b)} propagine propinquiores Ihesu Christo redemptori omnium extitisse. Igitur conventus ecclesie sancte Marie virginis in Aldenburg dei laudibus intendens in dilectis Ihesu Christo et propinquis sibi sanctis suis, videlicet gloriosa genitrice sua virgine Maria et matre eius beata Anna nove laudis preconia in ecclesia sua personare decrevit hanc eis in summo altari suo reverenciam statuens, ut in eo singulis diebus per totum annum exceptis tribus diebus ante paschae statim dicta prima de sancta Maria virgine missa celebretur tali vicissitudine conservata, ut quocumque die chorus conventualiter missam de gloriosa virgine pro summa missa cantare voluerit loco eius missa de beata Anna nichilominus celebretur. Verum ne quod honoris est, omnino sit oneris, Heinricus